

Ad dubium: An videatur magis consonum dicere missam de festo in altari privil. singulis diebus, cum in Ecclesia Monialium quotidie fieri soleat s. Communio, quae in param. nigris fieri nequit? S. C. resp.: Negative. n. 4338 ad 1 die 15. Julii 1769.

Ad dubium: An toleranda consuetudo celebrandi Missas de Requiem in paramentis violaceis ad hoc, ut possit praebere s. Communio cum particulis praeconsecratis? S. C. resp.: Serventur rubricae. n. 4815 ad III. 2 die 22. Sept. 1837.

Quaestio saepe exorta est, utrum in missa de Requ., cum paramentis nigris celebrata, post Communionem Celebrantis administrari possit fidelibus Eucharistia cum particulis praeconsecratis; asserentibus nonnullis posse; 1, quia in operibus Ferd. Tetami decr. de 2. Sept. 1741 tamquam apocriphum habendum esse dicatur; 2, quia affirmativum fuit responsum Jos. Dini apostol. Caerem. Magistri sententiae innixi Benedicti XIV. in opere de Sacrificio missae; ut autem omnis hac de re tollatur scrupulus, quaesitum fuit: an pro certo tenenda sit Sententia affirmativa Bened. XIV. et Tetomi vel supradictum decr. de 2. Sept. 1741? S. C. resp.: Dilata et videatur particularitur ex officio. n. 4594 ad IX. die 12. Apr. 1823.

NOTA GARD. AD HOC DECRET:

Nemini dubium, quod Decretum diei 2. Septembris 1741 genuinum et authenticum sit. Inter alia quaesita, quae comprehenduntur in dubio 4., postremum est: *Possunt in Missa de Requiem consecrari hostiae infra eam distribuendae?* et Sacra Congregatio non directe huic quaesito respondit, sed potius regulam dare voluisse videtur servandam quoad communionem

Fidelibus praebendam. *In Missis itidem defunctorum, seu, ut verbis utar Decreti, in paramentis nigris non ministratur Eucharistia per modum Sacramenti, extrahendo Pyxidem a custodia, potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est, quando Fidelibus praebetur Communio cum particulis infra eandem Missam consecratis.* Atque hoc pacto indirecte propositam quaestionem solvit directe vero legem servandam indixit. Hic autem quaeri posset: quodnam Decretum illud sit, de quo in praefato responso, videlicet: *seu ut utar verbis Decreti, in paramentis nigris?* Fateor me hujusmodi decretum minime reperiisse in Sacrae Congregationis Regestis. Forte qui jussus fuit suum pandere votum, digitum intendit in suppositum Decretum, quod dicitur datum anno 1705, et legitur in Calendario Ecclesiae S. Mariae de Pace Canonicorum Regularium Lateranensium pro anno 1736, videlicet: *Sacerdos in Missa de Requiem non potest populo ministrare Eucharistiam cum particulis existentibus in Pyxide; potest tamen ministrare particulas a se consecratis in eadem Missa S. R. C. die 2. Augusti 1805;* in hoc tamen nun leguntur verba: *in paramentis nigris.* Verumtamen quid juvat in hoc immorari, et persequi Decretum, cujus ne vola quidem, aut vestigium in S. R. C. codicibus? Quatenus autem praefatum Decretum authenticitatis nota non caruisset, Sapientissimus Cardinalis Ferrarius, instando in ordinario conventu anni 1711., ne copia fieret alterius Decreti anni 1701 Communionem in Missis de Requiem omnino vetantis (vide Benedictum XIV. de Sacrificio Missae lib. cap. 18 num. 10. 11. 12.) illud produxisset, quo nihil aptius ad suam sustinendam sententiam; et forte etiam allatae distinctionis modum compro-

basset. Nobis satis est, quod genuinum et authenticum sit Decretum anni 1741., quin simus solliciti de aliquibus verbis praeter necessitatem adhibitis et insertis, veluti illa sunt, *seu, ut verbis utar decreti, in paramentis nigris,* quae S. C. decisionem minime afficiunt. Tota stat ratio in discrimine, quod ponitur inter Communionem administratam per modum Sacrificii aut per modum Sacramenti; congruit namque, ut petentibus Sacra Eucharistia praebetur ex particulis in eadem Missa consecratis, tum quia ita intelligenda videtur adhortatio Tridentinae Synodi Sess. 22 cap. 5 de Sacrificio Missae: tum etiam quia Oratio: *Supplices te rogamus* legenda in Canone, peracta consecratione, expresse loquitur de participatione ejusdem Sacrificii: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus.* Quis forte contra consurget, et reponet, nihil fieri oportere argumentum ex Canonis Oratione desumptum; quia, si valeret, nec congrueret Eucharistiam ministrare cum praeconsecratis particulis, etiam in Missis ferialibus, et de Sanctis. Non ego repugno, neque contendo S. C. illud posuisse discrimen, quia prorsus illicitum putasset praeconsecratis particulas Fidelibus ministrare in Missis vel de Sanctis, vel ferialibus: contendo tamen per illam distinctionem significare voluisse, decens non esse, ut cum paramentis nigris aperiretur Tabernaculum ad extrahendam Pyxidem pro Communionem Fidelium. Quidquid vero sit, et quocumque motivo S. C. mota fuerit ad illud ponendum discrimen inter modum, et modum, probans unum, rejiciens alterum; satis nobis est, quod dubitari nequeat de authenticitate Decreti. Quamobrem istud, usque dum alio posteriori revocatum aut declaratum non fuerit, dat regulam servandam.

Nihilominus quaestioni propositae S. C. non respondit, sed satius duxit ampliare iudicium, remque maturiori examini subicere; tum quia non infimae immo summae auctoritatis Scriptores, (quos inter principem locum tenet Benedictus XIV., quem certe latere nequibat Decretum anni 1741, cum ejus opus de Sacrificio Missae latine reditum recusum Romae fuerit multo post, scilicet anno 1748) contrariam sententiam et tuentur, et pluribus rationibus sustinent; tum etiam quia non una, eademque est apud omnes Ecclesias et Sacerdotes consuetudo. Expectandum est igitur novum S. C. Decretum, quo vel illud anni 1741 confirmet, et ab omnibus servari jubeat, vel potius, ne divisiones fiant, et exoriantur scandala, indulgeat, ut quae in Ecclesiis invaluit consuetudo, et praxis, quae huc usque obtinuit, servari possit, et valeat. Interim, donec novum non prodeat Decretum, quo componantur quaestiones, et dissensionibus opportunum afferatur remedium, congruit, ut, ubi fieri potest sine admiratione Fidelium, praefati Decreti anni 1741 servetur dispositio. Porro novum non est, ut S. C. prudenti aliqua discretione utatur in iis, quae in sacris ritibus quamdam possunt aut moderationem, aut indulgentiam admittere, ad effectum evitandi admirationem, offensionem, et scandala. Ita, ut exemplo utar, licet rogata in una Senarum: *An super Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat?* sub die 14. Maji 1707. respondisset: *Numquam omitendam Crucis cum Imagine Crucifixi appositionem:* nihilominus reformandam non esse, ubi inolevit, contrariam consuetudinem, et quamlibet Ecclesiam in sua praxi relinquentem esse, in eadem Aqven. die 12. Sept. 1741. declaravit.

Ad dubium: Si Missa de Requie celebretur in Paramentis violaceis, potestne ministrari SSma. Eucharistia per modum Sacramenti id est cum Particulis praeconsecratis?

S. eadem C. . . . respondendum censuit: „Serventur Decreta“.

Atque ita rescribere rata est, et declarare. n. 5111 ad 11. die 11. Sept. 1847.

VERONEN.

Quum diversae circumferantur opiniones circa Communionem fidelibus administrandam in Missis Defunctorum, Rmus. Veronen. Episcopus pastoralis sui muneris esse censuit hanc S. R. C. adire, eidemque humillimis datis precibus supplicare, ut declarare dignaretur, an in praedicta Missa de Requie cum paramentis nigris liceat unquam S. Synaxim administrare cum Particulis praeconsecratis? Et Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitibus ad Vaticanum hodierna die coadunati post auditam ab infrascripto Secretario relationem, perpendentes alias sancitum fuisse in iisdem Missis Defunctorum seu in paramentis nigris ministrandam non esse Eucharistiam per modum Sacramenti, extrahendo Pyxidem a Custodia, ac posse tantum ministrari per modum Sacrificii cum Particulis intra eandem Missam consecratis, proposito Dubio rescribendum censuerunt: „Negative juxta Decreta in una Congregationis Montis Coronae diei 22. Jan. 1701. In una Ordinis Capuccinorum diei 22. Nov. 1710. et in Aquen diei 2. Sept. 1741.“

Atque ita rescripserunt, ac omnino servandum mandarunt, die 23. Maji 1835. n. 4753. (Vd. supra decr. n. 4119; n. 3575.)

20) Monialium.

Ad dubium: Sitne toleranda conversio super humerum sinistrum communicando Moniales habentes fenestrellam in parte Evangelii? S. C. resp.: debere descendere et reverti per gradus anteriores et non laterales altaris. n. 4055 ad 8 die 15. Septemb. 1736.

Vd. *Communio frequens*.

21) In Nocte Nativ. Dom.

Nulla modo licere, in nocte Nativ. Dom. communicare fideles. n. 1319 die 20. Apr. 1641; n. 1360 die 7. Decb. 1641. Praeceptum, quod in Nocte Nativit. Dom. post missam decantatam non possint successive aliae duae missae celebrari nec communicatio exhiberi eucharistica fidelibus depositibus, ligat etiam omnes Regulares tum Ord. Mend., tum Congreg. Monachalium, tum etiam PP. Soc. J. tum omnes cujusque alterius Instituti, etiam speciali mentione nominandi. Neque possunt excipi in Ecclesia confessiones, maxime mulierum, durante tempore nocturno, sed expectandum est, ut illucescat aurora tam pro confessionibus mulierum excipiendis quam pro Eucharistia ministranda fidelibus utriusque sexus. S. R. C. 13. Mart. 1686; 7. Decb. 1641; 15. Sept. 1668.

Non licet in nocte Nativ. Dom. s. Eucharistiam fidelibus illam depositibus exhibere. n. 3607 die 3. Decb. 1701; n. 3648 ad 1 die 28. Apr. 1703.

Quum, prout expositum fuit, Moniales, Educandae, et Conversae Monasterii Ursularum Goritiae Dioecesis Aquileiae a parte Imperii a tempore memorabili in nocte Nativitatis D. N. J. C. in fine primae Missae cantatae S. Communionem semper recipere consueverint, cumque modo pro Indulto in posterum continuandi in

praedicta consuetudine, S. R. C. humillime supplicatum fuit.

S. eadem C., „attentis circumstantiis supra expressis, hujusmodi instantiae juxta petita annuendum esse censuit.“ n. 3940 die 27. Julii 1720.

Indulti recipiendi SS. Eucharistiae Sacramentum in nocte Nativ. Dom. pro Abbatisa et Monialibus Monasterii s. Faudiosi Neapolis: „Lectum n. 4295 die 9. Aug. 1760 n. 4304 die 12. Sept. 1761.“

Indulti sumendi SSimum. in nocte Nat. D. pro Monialibus Monasterii S. Mariae Aegypt. Neapolis: „Servetur decretum“ n. 4297 die 9. Decb. 1760; n. 4346 die 10. Decb. 1768.

Ad petitionem Congreg. Missionis, ut Tyrocini domus Neapolitanae olim Coenobii s. Nicolai sequenti indulto gaudeat ut ceterae, nimirum: In nocte Nativitatis Domini intra Missarum Solemnia sacram Synaxim ministrandi Clericis, Confratribus, et Familiaribus Congregationis non solum, verum etiam Clericis externis, praesertim Congregationis Conferentiae, qui Ecclesiam ex nocte frequentare consuescunt;

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit: „Pro gratia in omnibus“.

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit, die 27. Aug. 1826. n. 4793 ad 1.

Vd.: *Nativit. Dom.* (Missa).

22) In Oratoriis privatis.

Vd.: *Communio* (frequens).

23) In Ordinatione.

Ad dubium: An in Communione, quae confertur ab Episcopo in Ordinum collatione vel fer. V. in Coena Dom. solemniter celebrante sint ab Episcopo dicenda verba: *Ecce Agnus etc. et Dom. non sum etc.*? S. C.

Decreta authentica.

resp.: Quoad Presbyteros tantum in Ordinatione habita esse reticenda, in aliis vero casibus semper proferenda. n. 3614 ad 4 die 11. Febr. 1702.

Ad dubium: In Communione Ordinandorum, si communicentur etiam Ordinati in Minoribus, Episcopus utine debet forma: *Corpus Domini Nostri Jesu Christi custodiat Te in vitam aeternam:* an dicere: *custodiat Animam tuam?* „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam“ n. 4669 ad 16. die 12. Novb. 1831.

24) Ordo accipiendi (Cf. Coena Dom.).

In communionem, quae inter Missae Sacrificium peragitur, ministrum Sacrificii non ratione praecminentiae sed ministerii praefendum esse caeteris quamvis dignioribus. n. 1907 die 13. Julii 1658.

25) In Parasceve.

Circa communionem in fer. VI. Parasceves Missalis rubricae et Ecclesiae romanae usus serventur. S. C. C. 12. Febr. 1679 approb. Inocent. XI. Vd.: *Communio* (frequens).

26) Paschalis.

a) Num ea sumenda satisfit Jubilaeo?

Vd.: *Communio* (pro Jubil. etc.); *Communio* (pro Indulg. lucr.; decr. de die 1. Maji 1844).

b) Num ea sum. satisf. communioni Bened. papali annexae?

Per confessionem et communionem die paschalis resurrectionis peractam et indulgentiam plenariam Papali Benedictioni adnexam lucrari et satis praeepto paschalis fieri. S. C. J. die 19. Mart. 1841.

c) Ecclesia, in qua sumenda.

Regulares possunt Laicis, qui degunt intra septa monasterii eisque actu inserviunt, ministrare Sacramenta Eucharistiae etiam tempore Pasch. ac extremae Unctionis, necnon sepulturam dare in propria Ecclesia juxta editum in Mediolanensi, *non tamen iis, qui quidem actu inserviunt sed degunt extra septa Monasterii nec eorum familiis.* S. C. C. 25. Januar. 1738.

Ad dubium: An famuli et famulae Monialium saeculares degentes in mansionibus sitis in atriis monasteriorum muro circumvallatis, et quae sunt contigua monasteriis et habent portam, quae clauditur, teneantur recipere Sacram. Euchar. tempore pasch. a parochis, in quorum parochiis Monasterium et mansiones sitae sunt? S. C. C. resp.: Affirmative et non amplius. Die 19. Sept. 1722.

In Oratoriis Collegiarum Convictoribus discipulis et domesticis, hoc est, illis, qui actu degunt in Collegio et illi inserviunt, Communio pasch. administrari non potest. S. C. C. 11. Junii 1718.

Vd.: *Communio* (Ecclesia).

d) Excommunicatio.

Episcopus adversus eos, qui temporibus ab Ecclesia statutis ad Confessionis et Eucharistiae Sacramenta negligunt accedere et poenas cap.: *Omnis utriusque Sexus* de Poenit. et Remiss. contemnunt, potest etiam ad excommunicationem procedere, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ex rationabili causa communio ad tempus dilata fuerit. S. C. C. 28. Jan. 1587 ad 1.

e) Tempus.

Communio in Paschate praeceptum potest extendi in longius tempus

ex Episcopi aut Parochi dispensatione rationabili, veluti si timeatur de lapsu in peccatum, seu gravitas delicti perpetrati id requirat aut si causa alicujus forensis expeditionis impediatur conscientiae serenitatem. S. C. C. 19. Novb. 1619.

27) Pyxis ferenda a Diacono.

Celebrans, qui non habet usum pontificalium, s. communionem distribuens, non potest sibi teneri facere Pyxidem a Diacono et per Subdiaconum Patenam. n. 2791 ad 2 die 13. Junii 1676.

28) Quotidiana.

Vd.: *Communio* (frequens.)

29) Ritus.

Ad dubium: An in Communione Fidelibus ministranda post Versum: *Panem de Coelo etc.* dici omnino debeant ante Orationem alii Versus: *Domine exaudi etc., et Dominus vobiscum?*

Emi., et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . respondendum censuerunt: „Affirmative, ut praescribitur in Rituali Rom.“

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt, die 24. Sept. 1842. n. 4947 ad 3.

Vd.: *Communio* (distribut. infra miss.); *Patena* (in commun.)

30) In Sabb. sancto.

Quum orationes tam praecedentes quam subsequentes Communionem missae Sabb. sancti loquantur in numero plurali; quaeritur: utrum liceat in eadem missa post Communionem Celebrantis SSmm. ministrare Fidelibus et praesertim cum particulis in eadem missa consecratis? S. C. resp.: Negative, nisi adsit consuetudo. n.

4815 ad II. die 22. Sept. 1837; et tunc post missam non vero intra eandem 7. Sept. 1850.

31) Sacerdotum sub utraque specie.

Vd.: *Missae* (interrupta per mortem Sacerdotis; *Votum P. Joni.*)

32) Sacerd. consecrandorum.

Vd.: *Ibidem.*

33) Tempus.

Ad dubium: An liceat in Sabb. s. inter missarum solemnias s. Eucharistiam Fidelibus distribuere et numper eandem sumptionem s. Communionis praeceptum paschale adimpleatur? S. C. resp.: Affirmative in utroque. n. 4499 die 22. Mart. 1806.

Ad dubium: An die magni concursus ad Indulgentiam plenariam vel Jubilaeum possit ministrari s. Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram et post meridiem? S. C. resp.: In casu, de quo agitur, affirmative a tempore ad tempus, quo in illa Ecclesia missae celebrentur vel ad formam rubricae vel ad formam Indulti eidem Ecclesiae concessi. n. 4526 ad 37 die 7. Sept. 1816.

COMPATRONUS.

1) Commemoratio.

(Vd.: *Commemor. Patroni.*)

Ad relationem: quod in illis Ecclesiis aut locis, in quibus Sanctus Titularis aut Patronus habet socium in Breviario, de Sancto socio fiat tantum commemoratio, tamquam de simplici, dum non remanet dies vacuus pro translatione. S. C. resp.: Negative, excepto casu, quod in toto anni decursu dies vacui deficerent, pro translationibus juxta rubricas. n. 4508 ad 6 die 9. Apr. 1808.

2) Festum (Cf. Patronus).

Cum servitium Cathedralis Thelesinae in Ecclesiam s. Leonardi terrae Cereti, Dioecesis Theles., sit translatum et s. Leornadus sit Compatronus dictae Terrae, Canonici petierunt, praecipui diem festum s. Leonardi venerari de praecepto tam in dicta Terra quam per totam Dioecesim cum Officio et Octava. S. C. resp.: *nihil.* n. 858 die 20. Apr. 1630. Festa ss. Comprotectorum non posse indici sub praecepto. n. 1922 die 7. Sept. 1658. Capitulum Ostuni supplicanti pro concessione facultatis continuandi in celebrando festum s. Orontii cum octava non obstante, quod in dicta civitate sit alius s. Patronus; S. C. resp.: „Nihil et in posterum abstineant“. n. 2722 die 9. Febr. 1675.

3) Oblig. Regul. ad Officium.

Ad dubium: An Regulares teneantur celebrare praeter Officium Patroni Civitatis et Dedicationis Eccl. Cath., etiam Compatroni, de quo agitur Festum cum onere audiendi Missam, et etiam alicujus Sancti specialis loci illius, in quo degunt?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit: „Regulares teneri ad Officium tantum praecipui Patroni Dioec. si adsit, vel Loci“.

Atque ita declaravit, definivit, servarique praecepit. n. 5042 ad 1 die 23. Maji 1846.

COMPLETORIUM.

1) Modus.

Ad dubium: An sustineatur edictum Episcopi mandans Canonice tantum completorii diebus in eo praescriptis, seu potius liceat *recitare* modo choralis vel cani facere a Musicis Cappellae capitularis? S. C. resp.: Ne-